



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorvm Regvlarivm Ordinis S. Avgvstini Origines ac  
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,  
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt XXXVII. Sancti Avberti Abbatia Canonicorum regularium, in vrbe  
Cameracensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11321**

118 ORIG. CANON. REGVL.  
tes, *Caroli Pius*, ann. 1122. & *Philippus Alsatius*,  
anno 1181.

CAPVT XXXVI.  
ITALIAE COENOBIA, CANONICO-  
rum Regularium.

1062. **A**NNO 1062. ordinem Canonicorum regularium S. Augustini Romæ, item Lucæ apud S. Frigdianum, & alibi in Italia ab Alexandro II. Papâ restitutum testatur Onufrius, in Chronicô suo Ecclesiastico.
1231. Idem tradit anno 1231. Congregationem Canonicorum regularium S. Marci Mantua inchoatam fuisse.

CAPVT XXXVII.  
SANCTI AVBERTI ABBATIA CA-  
nonicorum regularium, in vrbe Ca-  
merensi.

**S**ANCTUS AVBERTVS Episcopus Camerensis fulsitus, temporibus Dagoberti, Dagoberti incliti Francorū Regis, sacerdos Christi probatissimus, sub quo & per quem Hannonia mirabiliter in Christiana religione cepit florere & vigere. Habuit. n. in ea discipulos, *Landelinū* Abbatem Crispinij, *Vincentium Madelgarinū* Comitem, & coniugem eius sanctissimam *Valdetrudem*. Horum sanctitati adiun-

adiunxerunt se etiam multi Apostolici prædicatores ex Scotia & Gallia: quibus sanctissimus *Glenus* ex Græcia accessit. Per quas columnas felix Hannonia Christo Domino est incorporata, ac fidei Christianæ initijs imbuta.

Dolendum est tanti Pontificis vitam magna ex parte nesciri. Quod nescio vtrum scriptorum ignauiae debeat imputari, an iusto Dei iudicio, qui stellas claudit quasi sub signaculo, dum videlicet exigentibus peccatis malorum, vita absconditur bonorum. *Sepultus est Cameraci extra muros in S. Petri Ecclesia, que ampliatis mœnibus nunc est intra muros, Sancti Auberti Abbatia.* Sepulcrum autem eius Deus multiplici miraculorum gratia mirificauit, potissimum tamen per dies 40. ann. 24. Episcopatus Gerardi Cameracensis Episcopi. Quo etiam iubente Fulbertus, Doctor clarissimus, librum scripsit, quoad potuit, de vita & miraculis S. Auberti, qui exstat in Tomo ultimo Laurentij Surij.

Cæterum Abbatia S. Auberti fuit olim templum S. Petro Apostolo sacrum, in quo primùm resederunt cleri, siue sacerdotes sacerulares à S. Auberto, ibidem ut creditur collati: his postea substituti sunt Canonici regulares Congregationis Lateranensis, ut quidam tradunt. Ut vt sit, templum istud anno 996. exustum Hereuinus x x x. Episcopus,

H 4 an. 999.

ann. 999. instaurauit. Cæterūm corpus S. Au-  
berti, quod Dodilo xxi. Episcopus propter  
incursions Normannorum in urbem ad Ec-  
clesiam Deiparæ transtulerat ) Gerardus  
xxxii. Episcopus ann. 1025. Ecclesia , vt lo-  
quuntur, reconciliata, suo pristino iterum lo-  
co restituit.

Libertus verò xxxii. Episcopus Cano-  
nicos sacerdtales in ordinem rededit, & S. Au-  
gustini Regulæ anno 1066. subdidit ; in qua  
excolenda etiamnum gnauiter perseuerant,  
ipsis nunc Vrbis mœnibus incensi.

Abbas Primus anno iam dicto, vrbe eie-  
ctus fuit Bernardus, qui annis 23. præfuit. Li-  
ceat his subiungere testimonium ac præco-  
nium Iacobi Vitriaci Cardinalis, qui in Hi-  
storia Occidentali, cap. 21. sic scribit:

*Conuentus Canonicorum regularium sancti  
Ioannis in vineis Sueſſionensis , & sancti Oberii  
Cameracensis, & sancte Mariæ Blesensis, & sancti  
Nicolai de Oegnies, cum quibusdam alijs quasi  
pauci racemi consumpta vindemia, in virtute re-  
ligionis & feruore caritatis, & decoro honestatis  
permanerunt. Ascendentes de virtute in virtu-  
tem & odore bona vita & sancte conuersationis  
multos allicientes de mundi naufragio ad congre-  
gationem suam tanquam ad securum tranquilli-  
tatis portum traxerunt . Hactenūs Vitriacus,  
qui obijt anno Dom. 1244.*

Cæterūm monasterij huius, vti & Montis  
S. Eli-

S. Eligij regulares Canonici violacijs, hodie  
togijs ac pileis vtuntur.

## CAPUT XXXVIII.

ABBATIA MONTIS S. ELIGII  
*in agro & diœcesi Atrebatenſi.*

**M**ons S. Eligij nomen habet à *S. Eligio* Nouiomensi ac Tornacensi Episcopo, qui ibidem in Sacello quodam solitus est orationi ac contemplationi vacare. Eius ut amici ac familiaris quondam sui vestigijs infistens *S. Vindicianus* Atrebatenſis & Cameraicensis Episcopus, circa annum 678. in eodem monte Canonicos ſæculares collocauit, quos *B. Lietbertus* Episcopus, cùm vitæ effent liberioris, ann. 1068. ad regularem vitam amplectendam permonit.

Quiescit hoc in monasterio dictus *S. Vindicianus* Episcopus, à Fulberto xv. in Episcopatu successore an. 885. eleuatus.

Primus Abbas huius loci à *B. Lietberto* coſtitutus fuit *IOANNES*: qui cùm annis 40. præfuiſſet, viuere defiit anno 1108.

## CAPUT XXXIX.

VVATANENSIS SIVE VVATENENSIS  
*Præpositura, in Flandria, secundo lapide  
sub Audomaropoli.*

**A**NNO CIO.LXXII. instituti ab *Roberto* Friso, Flandria Comite, Canonici disciplina